



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Clarissimi Viri Henr. Zoesii Amersfortii, In Academia  
Lovanensi I. V. D. Et Antecessoris Commentariis In Jus  
Canonicum Universum, Sive Ad Decretales Epistolas  
Gregorii IX. P. M.**

**Zoesius, Hendrik**

**Coloniae Agrippinae, 1691**

Titulus XVI. De Sacramentis reiterandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62329](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62329)

movens Pontificem ad hanc pœnam statuendam; in ipsis potius quam in his. In casu absente Parochi, necessitas, quæ est extra legem, facit & alios posse impunè administrare hoc Sacramentum.

- II.** Subjectum est homo baptizatus, (baptismus enim est janua reliquorum Sacramentorum) & adulcus, qui habet aut habuit rationis usum: nam in eo, qui non habuit, non obtinebit finis hujus sacramenti. Quando autem habuit, etiam si nunc non habeat, potest in eo suum habere effectum. Ministri ramen est curare, eo tempore derut, quo sui compos est infirmus; hoc enim reverentiae Sacramenti & modo operandi est convenientius. Ut non sit expectandum, dum infirmus sensu carcat: quod consueto factum non fore sine culpa, licet tum temporis praefectur sine nova culpa. Ita præcipue dari vult Trident. *Sess. 14. c. 3. De Sacram. unit.* qui ita periculosè laborant, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & ibidem hoc Sacramentum dicitur ex eundem, quibus maximè accommodatur ejus effectus. \* Iterabile est, cum characterem non imprimat, *inf. tit. seq.* & corporis ægitudo possit iterari, ut iterato sit opus auxilio: non tamen durante eisdem morbi necessitate, cui est sufficiens medicina ista semel adhibita. Quasi, postquam se remiserit (quod judicandum arbitrio prudentis) iteretur, poterit & iterari hoc Sacramentum, tamquam novum auxilium.

Unguntur & Reges oleo benedicto in brachio, aut humero sive armo. Omnes item Christiani oleo benedicto bis unguntur ante baptismum, bis post baptismum, de quorum significazione videatur, *c. unic. hoc sit.* Unguntur & altare, dum consecratur; templum, dum dedicatur; calix, dum benedicitur, *d. c. unic. in fine.*

## TITULUS XVI.

### De Sacramentis reiterandis.

#### S U M M A R I U M.

2. *Sacramenta non reiteranda Baptismus, Confirmationis, Ordo.*
2. *Ordinatio etiam ab Episcopo heretico &c. facta imprimat characterem.*

3. *Ordinatus iterando an sit irregularis?*
4. *Defectus in ordinatione supplici debet.*

**A** Bominabile habitum, iterare Sacra menta, ea nimis, quæ characterem imprimunt, cuius generis sunt Baptismus, Confirmationis, Ordo, quem sufficit simile suscipisse. *Trid. Sess. 23. c. 4.* \* Quatenus ramen ordinatio facta ab Episcopo, licet heretico, apostata, excommunicato, simoniaco, cum nihilominus a tali imprimatur character ordinando, ut dictum supra sit. Quia in re hereticis aliquorum fuit olim, volentium à simoniacis ordinatis non nisi iterato ordinatos esse admittendos; verum ea reprehensa est. Dixi, quatenus facta ab Episcopo quia alias nihil accessit consecrationis, *can. Presbyteri Dif. 62.* ut iterari ordo dici nequeat.

Quæstionis est, An iteratus ordinatus sit irregularis? R. Id velle Navarr. *Conf. 1. hoc tit. per can. 1. Dif. 68. can. Dicendum 8. De confir. Dif. 5.* verum ea loca ut prohibeant quempiam iterato ordinari, non loquuntur ramen de irregularitate. Adjicetur & pro ea parte textus in *can. Saluberrimum 1. q. 7.* ubi ordinati ab hereticis in ordine suscepto permittuntur ministri strare, nisi iterata functione sint maculata; verum hoc accipendum de sebaptizatis, quorum factum est gravius; ut in iis sit singulare, quod ab Ecclesiæ militia omnia renoveantur, *can. Qui in qualibet 10. 1. q. 7. & ibi Glos.* nec videatur extendendum. Non obstante argumento à paritate rationis ducto, eo quod æquè sit prohibita iterata ordinatio atque iteratus baptismus: neque enim ea argumentatio procedit ad constituantem irregularitatis pœnam, quæ requirit expressam constitutionem Pontificiam, *c. Is qui de sent. excom. in 6.* Atque ita expresse in eo, qui bis confirmatus est, tenet Covarr. in Clement. *Si furiosus in princ. n. 8.* subiungens idem in his ordinato statuerunt est.

Defectus si quis contigerit in ordinatione, ille statu tempore est suppendus: veluti si manuum impositio omisla sit, aut oleo, non christiane fuerit facta inunctio; cetera legitime facta neque iteranda, *c. i. h. t.* Alia Sacra menta sine noxa iterantur: imò aliqua iterari cogit necesse.

TITU.